

Heinrich Schuckmann

**Programma Quo Rector Universitatis Rostochiensis Henricus Schuckman I.D & Codicis Professor, Ad Exequias Quae Viro ... Nicolao Fresen/ Seniori Civi huius urbis primario, Hodie ... parabuntur. Omnes Academiae Cives ... invitat**

Rostochii: Kilius, 1640

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn777433931>


Druck Freier  Zugang




Schvckman, H.,  
in N. Frese.

Rostock. 1640.

18.







PROGRAMMA

2<sup>vo</sup>

RECTOR

Universitatis Rostochiensis

HENRICVS SCHVCKMAN

J. D. & Codicis Professor,

AD EXEQVIAS

Quæ

VIRO FAMILIA, ET ATE & MUL-  
TARUM RERUM USU PRÆCLARO

NICOLAO

Fresen / Seniori

Civi hujus urbis primario,

*Hodie horâ prima pomeridiana, in Templo D. Jaco-  
bo sacro parabuntur.*

Omnes Academiae Civēs solenniter  
invitat.



ROSTOCHII,

Typis NICOLAI KILII, Acad. Typogr. Anno 1649.



**S**enium qui existimant re-  
verenter habendum; hi & insistent ve-  
stigijs Naturæ rectâ Ratione stipatis,  
& ipsam Scripturam ducem sequun-  
tur. *Natura*, sicuti tenet communem mortalium,  
vitam tribus ætatibus tanquam cancellis inclu-  
sam; itâ singulis, quas postulare cujuslibet indoles  
videtur, suas partes defert; Juveniles annos, vel his  
anteriores, quia flexiles sunt & rerum capacissimi,  
primo statim limine intrare provida Mater seve-  
rioris jubet rectâq; Educationis pomœria, Mediæ  
ætati ceu aptiori ad res gerendas plenam præstituit  
laborum Palæstram, in quâ ut desudascere possit,  
& ad virtutis culmen expeditioni cursu conten-  
dere, adminicula quædam cum Animi tum cor-  
poris eaq; validiora subministrat. Ultimæ vero,  
quæ senectus est, hoc peculiare præ reliquis tribuit,  
ut loco præmij, exantlatis tot tantisq; vitæ antea-  
ctæ molestijs, si non aliud meruisse, singularem  
certè Venerationis cultum, optimo jure censeatur:  
Itâ enim naturæ ductu comparata sunt in sene-  
ctute pleraq; , ita capillorum canities, quietus pla-  
cidusq; incessus, vocis deniq; & gestuum gravitas;  
ut ad sui reverentiam alios queant ingenitâ qua-  
dam

dam propensione illectos pertrahere. Sic ergò benigniorem quendam vultum in eos ostendit Natura, quorum vitæ quantus accesserit annorum Numerus, tantum decedere virium solet, ut quò graviolem fecerint illarum jacturam, eò mitiori vicissim reverentiæ officio demulceantur. Hanc Naturæ dispositionem excipit *recta Ratio*, cujus dictamine moti olim saniores Ethnici, usq; adeò studiosos se gessisse leguntur in colendo suspiciendoq; senio, ut eo nomine, si foret certandi locus, palmam dubiam redderent plurimis nostro seculo degentibus. Apud Lacedæmonios in tanto precio erat senilis ætas, ut honorem quum aliquis vidisset, quem Senioribus juniores præstabant, non immerito dixerit: *In solâ Spartâ expedit senescere*. Sparta enim multis credebatur honestissimum præbere senectutis domicilium. Egerunt igitur ipsi etiam Gentiles in hoc officij genere, quod & Natura & Rectæ Rationis judicium imperabat. *Scriptura* verò, quam honorificè sentiat de Canitie, quamq; ejus sollicitam curam habeat, nihil attinet explicare. Sufficit hoc loco lex unica, quam summus Legislator ipse promulgavit: *Coram cano, inquit, consurge, & honora personam senis, & time Dominum Deum tuum*. Timorem Domini, quæ anima est totius Legis, integrum fanè illæsumq; sibi vindicare non poterit quisquam,



quam, nisi & illos reverenter suspexerit, quos antecedere divina sapientia uti ætate alijs, sic & honore voluit. Hæc autem ut ut sint insignia privilegia senectuti potissimum tam à Naturâ, quam Naturæ Domino præ cæteris ætatibus indulta; Uti-frui tamen illis non promiscuè cuilibet licet, qui saltim gloriari de provecctâ ætate quoquo modo sibi sumpserit. Quotquot enim sunt, qui improbitatis labe per omnem vitam coinquinati, turpissimam vitiorum maculam ad seram usq; canitiem transmittunt, hi certè, tantum abest, ut in consortium venire debiti honoris ac reverentiæ possint, ut potius, quò plures annos à tergo reliquerint, eò sibi grandiora accersant contractæ labis dedecora. Cæteri verò, qui vitæ morumq; integritatem vel unicè sectantes, Canos naturæ beneficio sibi concessos, quantum fert humana imbecillitas, puros ac intemeratos extremo dormitorio intulerunt; dignissimi profectò sunt, quibus & vitæ tempore sua Reverentia exhibeatur, & post obitum peculiaria laudum monumenta super sint. Horum consortio accensuit se hactenus & etiamnum accenset Vir integerrimus NICOLAUS Frese / civis hujus Urbis à venerabili Canitie commendatissimus, qui vitæ telam ad eos annos produxit, quos humano generi ex gratiâ saltim divinus Psalmus indulget, Huic Seniori fas & æquum fuerit,

fuerit, ultimam honoris particulam, quam vivus  
meruit, mortuo adornare. Prodiit ille in hanc  
lucem, Anno partæ salutis sesquimillesimo sexa-  
gesimo octavo, ipse die LAURENTII, Patria,  
quæ & cunas præbuit, & nunc sepulchrum offert,  
Rostochium est. Parentes autem, quibus post  
Deum optimum maximum omnia tulit accepta,  
tàm splendore familiæ, quàm vitæ integritate, si quis-  
quam alius, insigniter conspicuos habuit: Patrem  
enim suspexit Prudentissimum hujus Urbis sena-  
torem Dn. NICOLAUM *Fresen*/ Matrem verò Ma-  
tronam laudatissimam WENDULAM *Lüschowen*/  
quæ & ipsa Patre nata Dn. NICOLAO *Lüschowen*/  
Senatore hujus Civitatis meritissimo, Fratrem vi-  
dit, Virum Amplissimum & Excellentissimum  
Dn. MARCUM LUSCHOVIUM *Jctum*, & Ante-  
cessorem in hâc Academiâ Celeberrimum: cujus  
fama in his oris frequentata nemini, nisi qui  
hospes hic locorum fuerit, ignota esse potuit.  
Avus paternus fuit *μπαπαχτυ* nostro vir Senatorij  
ordinis Dn. CASPARUS *Frese*. Avia paterna  
CATHARINA *Macken*/ quæ originem duxerat ex  
antiquissima & suâ ætate florentissimâ Makiorum  
familiâ. Ista majorum serie si superbire conveni-  
ret, certare utiq; Senior noster cum plurimis po-  
tuisset, & de antiquitate familiæ, & ejusdem, quæ  
longè lateq; sparsa fuit, insigni præstantiâ. Sicuti  
autem

autem neminem beatum facit carnalis Nativitas,  
ita potiore[m] laudis partem in hoc positam esse ar-  
bitramur, quod ex Deo renatus, primo statim vitæ  
initio, Sacramento militis Christiani obstrictum  
se dederit Salvatori suo, cui etiam per totius vitæ  
curriculum eam probavit fidelitatem, quam præ-  
stare in mortali corpore mortalis homo poterat.  
Ineunte ætate, quantum ex sollicitâ parentum cu-  
râ, & Ludimagistrorum, quibus commissus fuit,  
politiori institutione sibi comparârat, rectè loca-  
re coepit. Ex triviali Scholâ, in quâ pietatis juxta  
ac virtutis prima fundamenta jecerat, ad Acade-  
mias concessit, & Ingolstadiæ imprimis studiorum  
gratiâ aliquandiu commoratus, ulterioris peregrin-  
ationis desiderio quia flagrabat, Poloniam adiit,  
ubi in familiam admissus Dn. Levini à Bülowen/  
Consiliarij in Regno Polonico eminentissimi,  
haud exiguum temporis spacium cum illo transe-  
git. Poloniâ non contentus, Angliam, Germa-  
niam, Belgium, Curlandiam & Hispaniam, loca  
toto orbe celeberrima lustranda sibi præstituit, in quibus  
ea ubi devenisset, non transire voluit celeriter, sed  
ex singulis, quæ notatu digniora videbantur, ani-  
mo suo pressius infigere, & infixâ in Patriam aspor-  
tare. Domum reversus, divinâ providentiâ sic di-  
sponente, Matrimonij jura siquidem inire consti-  
tuerat, tori sociam Anno 1593. sibi elegit pudicis-  
simam


simam Virginem JUSTINAM KIRCHHOVES / Fami-  
gerabilis istius Jcti Dn. LAURENTII KIRCHO-  
VII, p. m. in Illustris, cum Megapolitanâ tum Lu-  
neburgensi Aulâ Consiliarij gravissimi, Professo-  
ris hujus nostræ Academiæ meritissimi Filiam. Ex  
hâc dilectissima suâ conjuge primò quidem filio-  
lam WENDULAM in pueritiâ denatam, postmo-  
dum autem uno partu filium & filiam gemellos  
suscepit, Ex quibus filius NICOLAUS Grefe / Civis  
hujus urbis primarius, cum lectissimâ foemina DO-  
ROTHEA Dn. NICOLAI Xeyers Senatoris filia  
connubiali foedere Anno 1626. junctus, adhuc su-  
perstes vivit. Filia verò JUSTINA Grefen / in con-  
jugium data Dn. JOHANNI Beselin / Senatori hu-  
jus Republicæ & p. t. Judicij inferioris præsidi pru-  
dentissimo, per integrum decennium ordine inver-  
so parentis obitum anticipavit. Ex utroq; tam fi-  
lio quam filia *paracelis* noster nepotes neptesq;  
vidit, qui avi sui oculos & mentem eâ lætitiâ per-  
fuderunt, quam excitare ingenita *sopora* in paren-  
tum visceribus consuevit. Primis hisce nuptijs  
per mortem solutis, transiturus ad secunda vota,  
Senior noster, Matronam honestissimam Wen-  
dulam Kôlshoven / Dn. JOHANNIS Kôlshoven /  
Senatoris filiam, NICOLAI Hehrman ex civibus  
præcipui, relictam viduam, vitæ adjutricem sibi  
cooptavit, Quod conjugium licet sterile, placi-  
dum

dum tamen, trium annorum termino clausum,  
fuit. In statum igitur viduitatis per mortis vio-  
lentiam iterum detrusus, ad tertias nuptias ani-  
mum applicuit, easq; Anno 1626, celebravit cum  
lectissimâ Matronâ Catharinâ KÖLERS JOACHIMI  
HOPPENERI Viduâ, quæ & ipsa superiori anno  
naturæ debitum persolvit. Ab eo tempore tri-  
stissimum senectutis jugum indies ingravescens  
patienter tulit, cumq; pro summi Numinis arbi-  
trio infirmitate corporis correptus per aliquot  
septimanas lecto adfixus teneretur, hoc egit se-  
dulò, ut præviâ poenitentia, precibusq; devo-  
tè suis, à supremo viræ moderatore beatam  
migrationem impetraret. Cujus voti compos  
factus die præterito Lunæ, qui erat 4. Maji, horâ  
8. matutinâ, ubi annos vixisset septuaginta & duos,  
piè ac placidè cum pleno rationis usu in coele-  
stem patriam discessit. Corporis exuvias, quas  
deposuit terræ gremio concredendas, Vestrum  
erit, Cives Academici, frequenti comitatu eò de-  
ducere, quò contendunt; Testatum facietis, hac  
ipsâ officij parte, quanto in pretio apud vos ve-  
neranda sit senectus, quam in vivis sicuti reve-  
renter coli; ita post fata ultimo quoq; honoris  
debito maectari, æquissimum esse statuētis.

P.P. Rostochij sub sigillo Rectoratus  
d. 7. Maji Anno 1640.

*Convencus fiet in æde Jacobæâ, ad horam primâ pomeridianam.*











simam Virginem JUSTINAM Kirchgerabilis istius J. Cui Dn. LAURENT VII, p. m. in Illustris, cum Megapoleburgenſi Aulâ Conſiliarij gravissimis hujus nostræ Academiæ meritis hac dilectissima suâ conjuge primordiam WENDULAM in pueritiâ denudum autem uno partu filium & filiuscepit, Ex quibus filius NICOLAI hujus urbis primarius, cum lectissim. ROTHEA Dn. NICOLAI Keyers connubiali foedere Anno 1626. junctus perſtes vivit. Filia verò JUSTINAE conjugium data Dn. JOHANNI Beselinius Republicæ & p. t. Judicij inferiorentissimo, per integrum decennium ſo parentis obitum anticipavit. Exlio quam filia *marce* noster nequidit, qui avi ſui oculos & mentem fuderunt, quam excitare ingenitatum visceribus conſuevit. Primitus per mortem ſolutis, tranſiturus ad Senior noster, Matronam honestudulam Kôlhoſen / Dn. JOHANNI Senatoris filiam, NICOLAI Hehr præcipui, relictam viduam, vitæ cooperavit, Quod conjugium lice

